

ter ipsum pulchrum neque ob unum aliud pulchrum esse, quam quia participat illius pulchri.

Atque hoc quatenus ad esse, ad fieri vero haec alia:²³ *quia pulchro pulchra fiunt pulchra*. Sed oppugnatio Aristotelis statim subnectitur his verbis:²⁴ *Attamen formis existentibus non fiunt participantia, nisi fuerit movens, et multa fiunt alia veluti domus, annulus, quorum non dicimus formas esse, itaque clarum, quod possunt etiam alia et esse et fieri, etiam ob tales causas ob quales etiam fiunt nunc dicta.*

- 10 Eadem omnia duobus aut tribus tantum verbis additis scribit libro 6. capite 5. prima haec oppositio. Non gignuntur participantia ideas, nisi motor adsit. At adest motor, o Aristoteles, aiebant enim Assyrii: οὓς ὁ νοῦς δίδωσι τῇ ψυχῇ ή δὲ ψυχῇ τῇ φύσει^{vii} *Quas rationes scilicet mens tradit animae, anima vero naturae*. Natura nonne motrix causa est ex Aristotelis sententia, cum ait: Deus et natura nihil frustra facit. Dixerunt ergo Assyrii ideas habere motorem ad rerum generationem. Plato quoque motorem assignavit in Timaeo, Deum universi opificem, mixtorum autem nostrarium minorum gentium quosdam Deos. Pythagorei, uti
15 ex Syriano attulimus, ideas ipsasmet et exemplares et formales atque etiam efficientes causas esse dixerunt, Timaeus ideam maris et patris vicibus fungi dixit. Adest ergo, τὸ κινῆσον. Nihil ergo obstat γίνεσθαι τὰ μετέχοντα^{viii} *gigni participantia*, nulla ergo obiectio.
20
25 Altera futilis prorsus est, domus enim et annuli forma accidentalis est nec ideo recte infertur, quia hae accidentales formae

²³ ὅτι τῷ καλῷ τὰ καλὰ γίνεται καλά. [PLATO, Phd. 100.e.2 – 3]

²⁴ καίτοι τῶν εἰδῶν ὄντων ὅμως οὐ γίνεται τὰ μετέχοντα ἀν μὴ ή τὸ κινῆσον [κινῆσαν], καὶ πολλὰ γίνεται ἔτερα, οἷον οἰκία καὶ δακτύλιος, ᾧ οὐ φαμεν εἰδη εἶναι. ὥστε δῆλον ὅτι ἐνδέχεται καὶ τἄλλα [τ' ἄλλα], καὶ εἶναι καὶ γίγνεσθαι <καὶ> διὰ τοιαύτας [τοιαύτης] αἰτίας οἵας καὶ τὰ ὅγηθέντα νῦν. [ARIST. Metaph. 991b.4 – 9 i ARIST. Metaph. 1080a.3 – 8]

^{vii} Usp. PSELL. Opusc. psycholog. theolog. daemonolog. 152.17 – 18: οὓς δίδωσι μὲν ὁ νοῦς τῇ ψυχῇ, ή δὲ ψυχῇ τῇ φύσει.

^{viii} Usp. ARIST. Metaph. 991b.4 – 5.